

SANCTISSIMO
PATRI
VRBANO
OCTAVO
PONT. OPT. MAX:

Comes Carolus Corius Academiae Animosorum Princeps . Felicitatem.

APIBUS tuis, ne nostra displiceant munera, Pater Beatissime, flores sunt. Aiacis, Narcissique metamorphosis Heroum iam omnium votum est; Vix ullus Herculi, Orioni, aut Perseo invidet caelum; si detur optio, in Apum tuarum gratiam, flos, quisque malit esse, quam sidus. Ita immutasti hominum vota dum immutasti fortunam, ut etiam fabulosae felicitatis veram invidiam excitares. Amare cogimur in gloria tua gaudia nostra, & qui accepimus à melle tuo acidissimi saeculi condimentum, ne mellificare iam definas, nullius consciam hyemis BORROMAEORUM Hyblam, unde novam tibi, nobisque dulcedinem elaborares obtulimus. In quo quidem id video novum esse naturae, quod ordine planè non recto, nift quod recta omnia sunt, quae te diriguntur in centrum, iam à floribus quaeruntur apes, quae ad hoc alas acceperint, ut flores quaerant. Sed nimirum nefas est, quidquam ad bona sua ita stupidum fingere, ut ea malit expectare, quam quaerere. Experti didicimus, quod saepe philosophi docuissent, rectam administrationem Reipublicae tradere neminem rectius posse, quam Apes, nec ab ullo felicius mundum institui, quam ab ijs, quae fuis ita rectè se dirigunt institutis. Rependit tamen, ut potest beneficium mundus; Illis vernare omnia cernimus; Hyemem suam exuit senescens natura; Ubi cumquae dumetum fuerat, hortus est; ut proinde non mirum, si ista etiam Academiae nostrae sterilitas emendicata licet aliunde faecunditate refloreat. Hoc si furtum est, voluisse aliena suavitate condire munera nostra; si temetitas, habuisse potioem tuae clementiae, quam magnitudinis rationem, speramus à te veniam, qui unus condonare omnia potes. A Musarum in apes benevolentia omnes speravimus tenuitati nostrae suppetias; Apes enim musarum volucres esse sat nosti. Ut ut nos tamen deceperint vota nostra, decerpes, ut spero, his etiam ex floribus fructum aliquem meritorum tuorum, odoraberis insuper virtutum tuarum in Heroum unoquoque fragrantiam, agnosces insuper quales erga te animos alal Insubria, quae gentium omnium desiderijs, aggregans sua, se undequaque beatissimam reputet, quoties felicitati, cuius te veneratur Authorem, addere liceat perennitatem.